LAVRVS ALEXANDRI,

Quam

REVERENDIS, GENEROSIS, NOBILIBUS, ET ERVDITIS ARTIVM ET PHILOSOPHIÆ BACCALAVREIS,

Dum

Alexandreâ Virtute & Animo,

Ad Supremum

Ejuſdem Facultatis Honorem

Invictâ Mente

Contenderent.

OBTVLERVNT

Feſtivo plauſu, & animo,

Rhetores Olomucenſes.

Anno, M. DC. XXXVII.

Excudebat Nicolaus Hradeczky.



REpente læti quæ facies soli?
Quæ terra vernis aurea laureis
Se pandit? hic suum voluptas
Ipsa thorum soliúmq; fixit.
Fallor; Deorum verna serenitas,
Celebriori Numine nobilis;
Hîc blandientis fixit auræ,
Ipsa sibi solium, & cubile.
Papæ! sereno ludit in aëre
Etesiarum suavè strepentium,
Emancipati penna cæli,
Temperie superos fatigat
Serenioris penna Favonij:
Non hîc retortis tempora crinibus,
E nube caligans Orion,
Non Hyadum rapit urna cælum.
Argenteorum leniter imbrium,
(Quippe aureorum fabula viluit.)
Procella se glebis maritat,
Et varios alit arva fœtus.
Excedit amplis Gargara messibus,
Et copiosis area frugibus
Superbit, hos, nî fallor ipsa
Diva potens, siculas, per agros.
Ceres feraces, rexerit essedas,
Hîc cincta vernis tempora fœtibus
Pomona prolem, prole fœtam
Dinumerat numeris fecundis.
Vernæ hîc decoro germine pellices
Rident agrorum, hîc ruris Ephebuli
Vernâ decenter lege, nutus
In procerum vigilant suorum,
Pars sparsa lentos colla per aurea
Jactat capillos, cæruleis micat
Spars cana guttis, pars virente
Sub folio, superos triumphat.

An

An Hybla picto luxurians satu?
Intaminatis floribus emicat!
Fæcunda num Tempe paratu
Hesperios imitantur hortos?
Lucum coronat Cedrus amabilem,
Et palma ramos porrigit arduam,
Virore lauretum perenni
Induitur; paradisus hîc est.

MEntior; Elisij divina rosaria campi,
Fœcundúmq; nemus baccis, Dryadesque beatas,
Tam sterili vernare solo, nec enim æmulus illas
Delicias opibus locus æquat, & æquat honorem,
Quippe nec obryzis Ganges indutus arenis,
Aurea Mygdonijs ferit undique littora spumis,
Nec Tygris Oebaliæ, multâque superbus in unda
Fluctuat Euphrates, pretiosáque littora cursu
Tempestas pretiosa Tagi diverberat aureî:
Mentior, Elysij divina rosaria campi
Tum sterili vernare loco; nec amæna rosarum
Atria Divinis instructa Penatibus ardent.
Nescio Spartani nova quæ nunc gratia campi,
Hîc non obscuris se prodidit argumentis?
Virginea lascivit humus sub fronde, solúmque
Lauro omne induitur, victricem compita Daphnen
Progenerant? Sophico dignissima dona labore
Verna licet vario florum Zephyritis honore
Luxuriet, tacitáque Pales sub fronde novella
Accubet, & fœtam numeret Pomona cohortem,
Virgineæ tamen omnis honos, & gloria frondis,
Tantum omnem superat floris vernantis honorem,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi,
Aut quantum reliquas præcelsa cacumina Laurus
Exuperat frondes, dum grato frigore soles
Temperat, & medio brumam sibi vendicat æstu.
Ipsa suum hîc Daphne (Daphne pretiosa corona)
Disposuit regnum, Sophicas textura corollas.
Omnis honoratæ desumpta hinc gloria frondis,
Quæ quondam Iliacas ornavit gloria dextras,
Hinc pretium Vatum, hinc Victricis gloria frontis,
Quin! hîc ipsa suo Laurus Parnassia regno
Surgit, Palladiæ non ultima gloria dextræ
Moxque in victrices descendet adorea dextras,

Scilicet ipsius cogit sublime Tonantis
Consilium, emeritis textas aptare corollas
Frondibus, & meritos Lauro impertire triumphos.
Laurea purpureo concurrite flamina nodo
Gordiacum fato nexum superante, coire,
Currite felices glomerato pondere fusi,
Currite, diductis voluentur candida filis
Omina, felici digito quæ diphtera Divûm,
Æternaturis transcripsit in astra triumphis,
Illaqueet Sophicis se donec adorea lauris.
Vos quoque Virgineas digito plaudente corollas,
Nectite laurigeræ, Divûm gens inclyta, Nymphæ,
Inclyta natali trahitis quæ stemmata cælo;
Magna Deûm semper soboles. Nunc ilicet omnem,
Linquite (quisquis eam superûm de gente Deorum,
Detulerit tolerandam animis) curámque laborem,
Vnus Laurigeris orbem meliore rotatu,
Vrgeat ad votum digitis labor omnibus idem,
Et totam in meriti diademata candida serti,
Artifici cogat Daphnen concurrere flexu.
Hem! nova sed meritæ quæ cerno præmia frontis?
Artificem cepêre colum, meliore rotatu
Pensa, laboranti quæ fert sapientia fronti,
Sudor & obtexto famæ discriminat auro.

Quin (tàm facilè quis non miretur in arbore ingenium?) vestram Philosophi ultro ambiunt frontem: pudet emeritis tam diu abstinuisse comis; regalem ornarunt verticem majestate contentæ, splendorem quærebant; inhonoræ jacuerunt in purpura, despectæ in auro; nunc ad vos revertuntur, honorem in alto situm, Philosophi quærunt in vertice. Admittite frondes, sunt Virgineæ, quibus repulsa summo pudori est: Ecce adstāt vultu verecundæ, abstinete ruborē affundere. Prima igitur vobis adest ex omnibus maxima, officiosa ante alias, ambitiosa frontis Philosophicæ.

LAVRVS ALEXANDRI.

Magnum Magni Regis
Imò excelsæ mentis,
Ornamentum.
Philosophi virere ambit in vertice,
Non ut tutos reddat à fulmine,
Qui astris dominantur, & fulmini
Sed ut tutior laurus ipsa sapiente in vertice sit a fulmine
Hic ipsis obvia stabit fulminibus,
Quin provocabit,
Vt gloriosius Philosophi in vertice ipsa elidat fulmina.
Alexandrum munivit contra fulmen Laurus,

Muni-

Muniunt Laurum Philoſophi.
Felix ſæculum.
Quod geminum contra fulmen habet præſidium.
Laurum & Philoſophos.
Et quis nunc lauream dubitabit dicere virtutem.

PHILOSOPHI.

Ergo age
Quæ meritæ diſpenſas præmia fronti
Themis Sapiens,
Alexandri de Vertice
Laurum deripe;
Meliore digna eſt illa fronte,
Fronte ſcilicet virere debet Philoſophi.
Hæc ſapientiâ regit
Supercilio, illa terruit orbem.
Cùm ei omnia ut fulmini cederent, ceſſit nulli
Terræ Mars, Belli fulmen,
Exarmatus à Pallade,
Laurum ceſſit,
Fulminare deſijt.
Fulmen timere cœpit, dum laurum ſibi indebitam agnovit.
Nimirum Philoſophos laurus decet,
Qui virtute laureâ
Orbi regendo & felicitando,
Laurum merentur.
Vt ſub Laureatorum Philoſophorum præſidio,
Tanto ſit à fulmine tutior,
Quanto magis, à Philoſophi fronte
Tuta eſt amica cœlo laurus.

VIctrices aquilas, & pila minantia pilis,
Et depugnatas felici Marte quadrigas,
Omnibus importas quid garrula fama triumphis?
Arma quid Æmathijs decorata phalangibus, arma,
Arma per, Arſacios haud unquam inglorja campos,
Pellæáſq; acies, cineratáq, rudera Memphis,
Fumantéſq; domos, ſcintillantéſq; tonitrus,
Audaces Lybiæ cineres, & Perſidos arma
Militiæq; decus, ſtatuis victricibus effers.
Porticibus figis cunctis, ſcribiſq; theatris.
Omnis Alexandri ſolum ergo noverit orbis
Prælia, ſangvineis, fumantia prælia campis,
An Gracchos, Curios, Cyros, an fulmina belli
Scipiadas, Fabios, Marios, Furióſq; Metellos,
Ipſóſq; ignoret victrici Marte triumphos
Cæſaris, aut Latio fumantia ſigna tumultu?
Garrula victrices, quid garrula fama, quadrigas
Pellæi Juvenis decantas omnibus oris?
Argolicas quodcunq; plagas, quodcunq; Mycænas
Accolit, Æmathij loquitur certamina Regis.
Perſica ſigna canit, pretioſáq; litora. Gangis,
Gemmiferúmq; Tagum, victricibus obruta arenis;

Jnachijs quodcunq; plagis, quod littore Achivo est.
Passim Phidiacis sudant animata trophæis
Marmora, & augustis æra insignita triumphis.
Persepolim, pulchrámq; Tyrum, prædámq; Damasci,
Transmittunt ævo victura loquacibus æra,
Porticibus, vitámq; suo testantur in auro.
Et Polycletæo vivunt sub pollice vitam
Fingere docta Ducis, monumenta superba triumphi.
Arte suâ pars nulla caret, laudata in eburno
Dente viget virtus, & bella superba Tyranni
Jnvitum sustentat ebur; Parióq; triumphant
Jn saxo varijs animata trophæa theatris.
Sat vixit mentita Ducis, te præside, fama,
Sat vixit; discede ingloria gloria Regis.
Est minor augustis virtus celebrata triumphis;
Major honor facto est, virtúsq; minore triumpho
Dignanda, & leviore tuo revocanda cothurno.
Fama tace, & famulas impendere desine pennas
Victori Regi, nec fer super æthera bella
Pellæi Juvenis, nullos habitura triumphos.
Ad Moravas descende arces, huc præpete pennâ
Fama veni, hic in conspectu mediisq; medullis
Vrbs jacet; è Magno quæ sumpsit Cæsare nomen,
Digna authore suo, & magno nunc Cæsare digna,
Huc pennas converte tuas, hic garrula linguis
Omnibus esse potes, centúmq; diserta figuris.
Huc ades, huc celeres advertito fama quadrigas.
Grande viæ pretium est; nunquam properasse pigebit,
Quid dubitas & tarda metu lassaris inani?
Huc ades, Æmathiiq; Ducis tacitura triumphos,
Bella Sophi bellata manu mecum aspice, bella
Majora Æmathijs, hæc dices prælia pugnis,
Huc celer accelera, hic totis Fama auribus adsta,
Hic tota in Sophicis poteris fama esse triumphis.
Age jam laureata bella,
Laureâ bellata manu, an potius mente,
Orbis aspice.
Et laurum.
Si potes Philosophis nega,

ALEXANDRI.

Dum se tumultu cerneret rerum peti
Natura, cunctas prodiga in terras parens,
Clausáq; (profundis quæ tamen voluit super
Latere terris ipse naturæ sator)
Rerum videret germina, ingenio peti:
Sicne nihil inquit ergo secretum mihi
Servabo? posthac abditum colam nihil?
Omnis (in apertum proditis rebus diem)
Gloria fatiscet? omne vilescet decus?
Jam sub profundis abdita antri noctibus,
Jn orbe, cunctis prodita innotui plagis,
Vidi ipsa nuper nescia occulti doli,
Metal-

Metalla subito concuti metu; & novo
Pallore terra concidit; prodita palam,
Quin, quidquid oriens Phæbus Eois aquis,
Et quidquid astris conspicit summos poli
Equitans recessus: pervio patent sinu,
Ergóne quæ latui jam prima ab origine rerum
Eruta in aspectum, tandem juvenilibus ausis,
Dentibus & vulgi, populiq; patebo cachinnis?
Jstáne inulta feram? nec vindex dextera nostros
Fulciet interitus? tacita ergo cerno ruinas
Nostras? nec cœpti prohibebo pericula damni?
Si sola audaces nequeo frœnare tumultus:
Ciebo quidquid imis
Jnfernus urget antris,
Quidquid perenne noctis
Chaos resorbet atrum.
Si sola pervicaces
Nequeam levare nisus,
Adesto quod nigrantes
Colis paludis undas
Ferale noctis agmen,
Adeste, adeste, laruæ,
Laruæ stygis profundæ,
Adeste, adeste, vindices scelerum Deæ
Concutite pinum Tartari, & cæcam facem,
Jnferte: prohibete scelus, & ferox malum,
Erumpe stygia, erumpe Tisiphone specu,
(Quid feriatur dextra, quid trahis moras!)
Atróxq; prome virus, & sævam luem.
Huc prima propera concito ruditas gradu,
Nostriq; nobis prona adesto ultrix mali,
Late per orbem tetrico regna peplo,
Omnia, tege, nocte solitâ, & supra polos
Emitte noctes, Cimmerion atrum plue,
Jam nube vecta languidâ & fuscis rotis.
Vix ea dicta dedit: proprio commota periclô
Natura, horrificis subitò cùm plena tenebris,
Cœperat atratis cæca ignorantia bigis
Sidereas velare faces, nigra nubis amictu,
Non dispar nocti, sed imago simillima nocti:
Et quocunq; nigris vehebatur tracta procellis,
Jnfernum cœpit mox undiq; & undiq; virus
Spargere, & humanam sopire ad murmura mentem.
Jngenijs mox nullus amor, languere voluptas
Sola est, & pigræ luces confundere nocti.
Continuò aduertit stygias sapientia technas,
Consilium & ferale mali Sapientia vindex;
Et mox offusas luci pulsura tenebras,
Jngeniosa jubet totum resonare per orbem
Classica, Socraticas animantia classica turmas.
Jusserat: & docto mox undiq; personat omnis
Marte locus: tremulum ferit æthera persona murmur,

Corripiunt mox signa Duces, inq; arma Cohortes,
Et conjuratas cogunt ad classica turmas.
Conjurata fremit manus, undiq; & arma minantur
Arma, arma, arma, sonant, mox vndiq; & arma parantur,
Arma, per augustas Sophiæ celebrata palæstras.
Et ne Socratici pretium sit vile laboris,
Præmia digna viris victoribus addit, honores,
Pieriæq; decus sylvæ, baccisq; decoram
Daphnen, Palladiæ dignissima præmia pugnæ,
Vix sonuère tubæ, vix accivère phalanges
Socraticas litui, vix Pallas in arma Cohortes
Belligero aere vocat, Martémq; accendere cantu
Socraticum, campi Præses Sapientia, jussit;
Vix sōvère tubæ: cùm mox glomerarier omnis
Juliomontanæ cœpit plebs alma Juventæ.
Ergo Palladijs exercet robur in armis,
Flos totus juvenum, pubésq; tenella Minervæ.
Nec mora miscentur jam toto prælia Marte:
Bella fremunt, sed bella tamen, sine vulnere bella.
Est calamus gladius: pro pulvere sepia cedit:
Jnq; globíq; sclopíq; vicem, per vulnera venit,
Fecana, Cajecti, & quid quid generosa facultas
Suggerit ingenij, divinæq; indolis ardor.
Diésq; nulla ducitur sine lineâ:
Quin, dulce lassos vigilijs premere sinus,
Doctísq; chartis (quas Sophi pugnæ locum
Procul per alas explicant.) penè immori,
Hic tela telis obviant, viróq; vir,
Audáxq; quivis pergit hostiles minas
Frangere, superbos quilibet fero impetus
Retorquet ausu, & monstra laruæ deripit,
Noctémq; latis dissipat tetram polis,
Quâ sæpe toto subdola cerebro, impium
Fovebat agmen, & chimærarum gregem.
Horrida quæ cernens oculis inscitia bella,
Palladijs demum prostrata abscedit arenis,
Victáq; Socraticis submittit terga triumphis.
Has inter numerosa cohors, generosius omni
Visa est decertasse modo, pugnámq; supremam
Traxisse in metam, & summos superâsse labores,
Et proprio spolium posuisse perenne triumpho,
Exacto, totâ Sophiæ Trieteride, circo.
Quos victrix postquam vidit Sapientia nisus,
Stratáq; sub doctis elementa atq; astra triumphis.
Nunc vos laboris inquit,
Laurus manet cohortes,
Honor manet triumphi.
Obtenta ferte serta
Vestro recens virescat
Sub crine, laurus; almos
Ornet decore crines.
Melius sub hoc virebit

Recente

Recente flore ſertum,
Frondoſa bacca crine,
Quam ſub Ducis virebat
Æmathij capillo.
Sic ait; & tantæ pugiles Regina palæſtræ
Perpetuæ auguſto cinxit diademate lauri:
Térq; canebat Jo; victores vivite, pleno
Laurea dum vobis veniat ſuper aſtra triumpho
Famáq; perpetuos aris inſcribat honores.
Bella Sophis bellata dedi; quid fama moraris?
Quid ceſſas? Sophicos quid titulos taces?
Laurea quid totum deſiſtis bella per orbem,
Paſſim laurigeris dicere vocibus?
Pellæi Juvenis remove nunc Fama trophæa,
Audacéſq; animas Æmathij Ducis.
Parta trophæa Sophis pleno narrare theatro
Dignum eſt, & Sophicis prælia laureis.
Ergo vola, & raras victrici Marte phalanges,
Extolle emeritis Fama Quiritibus.
Fama vola, fer victrices ſuper aſtra cohortes,
Pellæum, Sophicus, vincit honor decus.
Hic Polycletæo victricem in marmore ſcribe
Virtutem, Sophicus quam meruit labor.
Scripsit: & immenſum graditur vaga Fama per orbem,
Et narrat titulos, & laurea ſerta Sophorum.
Vivite felices, quibus eſt fortuna peracta
Jam ſua: laurigeros ſors veſtra meretur honores.
Semper honos noménq; Sophi, laudeſque manebunt.

Ita perennibus laureis veſtris accinunt.

Fridericus Comes ab Opperſdorff, Liber Baro in Eich & Fridſtein.
Joannes Tiburtius Ferdinãdus Rzikowski, Eques, Moravus.
Joannes Fundulus
Matthias Wittemberſki.
Andreas Wenceslaus Porziczky.
Zacharias Joannes Ginter.

Anno, 1637.